C

LOCVS.

Nascitur humectis locis, iuxta riuos aquarum & fontes: quapropter nonnulli Dipsacon à Græcis nominatum esse arbitrantur.

TEMPVS.

Carpitur in æstate, Iunio & Iulio potissimum mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Dipsaci spinæ radix ex secundo ordine exiccantium est, habetq; nonnihil absterforium.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Huius radix cum uino decocta & tusa usq; dum cerati crassitudinẽ accipiat, imposita rimas fistulasq; sedis sanat. Oportet autem medicamentum hoc ærea pixide recondere. Ferunt præterea formicis & uerrucis pensilibus remedio esse. Vermiculi capitis eius in folliculo clausi & collo aut brachio appensi, quartanas sanare prodeuntur.

EX PLINIO.

Sanat rimas sedis, item fistulas decocta in uino radice usq; dum sit crassitudo ceræ, ut possit in fistulam mitti. Item uerrucas omnium generũ. Quidam & alarum, quas modo diximus, succum ijs illinunt.

APPENDIX.

Aliæ facultates quæ à Serapionis interprete & alijs recentioribus illi conceduntur non sunt genuinæ, sed spuriæ, & Polygono adscribendæ.

DE DAPHNOIDE. CAP. LXXXIII.

NOMINA.

D

Laureola. Daphnoides unde dicta.

ΔΑΦΝΟΕΙΔΕΣ græcè, Daphnoides latinè nominatur. Officinis & nostrę ætatis herbarijs, græcam imitantibus uocem, Laureola. Germanis ʒeilant/ & ʒeidelpast nuncupatur. Daphnoides autem & Laureola, à Lauri forma & specie, quam in folijs & fructu refert, dicta est.

FORMA.

Frutex est cubitalis, ramos complures habẽs lori instar flexiles, à medio sursum uersus folioſos. Cortex ramos uestiens admodum glutinosus lentúsue est. Folia Lauro similia, molliora tamen, tenuiora, nec facilè fragilia, os & fauces erodentia, incendentiaq;. Flores candidi. Fructus ubi ematuruerit subniger. Radix inutilis.

Obiectionis dissolutio.

Quę in uniuersum omnes notę Laureolę hodie dictæ cõueniunt. Nec obstat quod Dioscorides suę Daphnoidi candidos tribuat flores, cum Laureola purpurascentes potius habeat: solet enim color secundũ diuersas regiones in eadem sæpè herba mutari, ut fusius in Symphyto maiore dicemus. Et certè nihil incõmodi erit si etiã Laureolæ flores quispiam candidos dixerit, cum albi coloris non minor quàm purpurei in ijs portio reluceat. Verisimile quoq; est Dioscoridem ab extremo potius colore, quàm medio flores appellare uoluisse.

LOCVS.

Nascitur in montanis & sylueſtribus locis.

TEMPVS.

Floret primo statim uere anteq; folia erumpunt. Fructũ autẽ autumno profert.

TEMPERAMENTVM.

Calida est admodum & sicca.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Ducit per inferna pituitosa siccum aut recens Daphnoidis folium. Vomitus & menses cit. Cõmanducatum capitis pituitas elicit. Sternutamenta itidem mouet. Purgant etiam feminis eius pota grana quindecim.

EX PLI-